

590 50 3.
SOLO FAVENTE DEO.

Testamentariarum
Quæstionum,

DISPUTATIO TERTIA.

*Ad l. 16. 19. 20. 21. 22. 27. 28. 29. 31. ibiq; notata
Doctorum C. de Testamentis.*

QVAM

Auctoritate atque consensu amplissimæ
Facultatis Juridicæ Lipsiensis

SIGISMUNDUS FINCKELTHAUS,
J. U. D. & P. P. publicæ disquisitioni
subjicit

ET


Respondendo defendet

ENOCHVS PÖCKELIVS
Jun. Nivemontanus.

Ad diem 23. Decembr. horis locoq; consuetis.

ANNO

M. DC. XXIV.


Lipsiæ, Typis exscribebat Gregorius Nibsch.

INNOCENTII PAPAE
TERTII

QUESTIONARIUM

IN THEOLOGIA

ART. I. DE DEO

ART. II. DE DEO

ART. III. DE DEO

ART. IV. DE DEO

ART. V. DE DEO

ART. VI. DE DEO

ART. VII. DE DEO

ART. VIII. DE DEO

ART. IX. DE DEO

ART. X. DE DEO

ART. XI. DE DEO

ART. XII. DE DEO

ART. XIII. DE DEO

ART. XIV. DE DEO

M. DC. XXIV.

OPUS

Lipiz. Typis exstibae Gregorius





QVÆSTIO PRIMA.

Utrum Testamentum minus so- Ad l. non du-
lennē servandum sit in foro consci- bium. 16. §. 1.
entiæ, & obligationem pariat natu- C. de testa-
ralem? Aff. mentis.

(1.) Per tex. in *l. Etsi inutiliter. 2. ibi. ex conscientia. C. de fideicommissis*, ubi frustra quæstio movetur super fideicommissio inutiliter quidem relicto, semel tamen ex conscientia præstito. (2.) arg. tex. in *l. si sponsus. 5. §. si quis rogatus. 15. ff. de donat. int. vir. & uxor.* ubi etiam repetitio cessat, eò quod videatur maritus, hereditatem sine deductione Trebellianicæ restituens, magis pleniore officio fidei præstandæ functus, quàm quod donasset. (3.) arg. *l. in testamento. 38. ibi. pios tamen filios. ff. de fideicom. libert.* ubi impios & ingratos filios Imperator vocat, qui supremum iudicium patris defuncti contemnunt, hoc solo prætextu, quod jure civili non erat perfectum. Siquidem in foro conscientia hæc duo tantum spectantur, veritas & conscientia arg. *l. militis. 5. C. de relig. & sumt. funerum.* (4.) Ratio est, quia ubi voluntas & consensus, ibi obligatio naturalis. arg. *l. cum amplius. 84. §. 1. de R. J.* Sed testatoris voluntas adest in testamento, ratione solennium imperfecto, ejus enim consensus in rei veritate intervenit. E. (5.) quia Jure gentium valet testamentum coram minore numero testium conditum, puta coram duobus testibus. arg. *l. ubi. 12. ff. de testib.*

In ore enim duorum stat omne verbum. *cap. cum esses. 10. extra de testament. E. voluntas testatoris apparet per duos testes, quoad æquitatem naturalem. d. l. 84. §. 1. de R. J. Septenarius siquidem numerus est tantum juris civilis, introductus saltem ad tollendam falsitatem. l. fina. C. de fideicom.*

QVÆSTIO II.

Add. l. 16. §. 1.

Si heres ex pluribus legatis quædam solverit, an & ad reliqua ex imperfecto testamento præstanda obligetur? Neg.

(1.) Arg. *Tex. in l. Lucius. 88. §. testator. 5. ff. de legat. 2. ubi solutio aliquorum legatorum facta ab herede ante diem, non præjudicat heredi, ut alia legata ante diem solvere teneatur.* (2.) arg. *L. cum te. 4. final. C. ne uxor pro marito.* ubi mater solvit filij debitum Titio, & dicitur, quod propterea cogi non possit, ut etiam reliquis debitoribus solvat. (3.) arg. *l. voluntaria. 12. C. de Excusat. tutor.* ubi excusatus à tutelæ susceptione, si tamen volens tutelam aliquam suscipiat, non ideò cogi potest, ut etiam alias tutelam suscipiat. (4.) Ratio est, quia liberum cuique est, quomodo & erga quos liberalitatem exerceat. *l. 2. §. 2. versic. Est enim natura æquum. ff. de precario.* Quare & heres poterit in unum conferre aliquod beneficium, & cæteris denegare.

QVÆSTIO III.

Ad L. omnium. 19.

An testamentum coram Principe factum, vel actis insinuatum, sine testibus specialiter rogatis subsistat, & valeat? Quidam



dam 7. testium præsentiam exigunt, ut in quovis alio testamento : Alij tres testes requiri existimant. Communis opinio duos testes adhibendos esse censet. Nos existimamus, in hoc testamento coram Principe vel apud acta condito, nullum omnino testem necessarium esse.

Ratio (1.) quia in *l. omnium. 19. C. de testam.* dicitur, quod securus sit, qui testamentum apud Acta facit. *Ibi: sicut ergo securus erit.* Is autem securus dicitur, qui nullis aliis requisitis indiget, sed plenissimâ munitione legis gaudet. *arg. l. omnes. 4. in fi. C. de prescript. 30. vel 40. annor.* E. adhuc aliis testibus opus non est, tanquam aliâs solenni requisito testamentario. (2.) quia in *d. l. 19.* nihil de singulari rogatione testium, eorumve numero, aut etiam subscriptione, & consignatione, nihil de alia, si quæ est ejusdem generis, solennitate affertur : Et tamen testamentum coram Principe & actis conditum, omnium testamentorum solennitatem superare dicitur. Quod argumento est, in hisce testamentis nullis solennitatibus opus esse : Idq; vis vocabuli OMNIUM importat. Si quæ istæ necessariae fuissent, utique Imperatores speciatim eas expressissent. (3.) quia testamentum Principi oblatum & apud acta factum, ut paria æquiparantur in *d. l. 19. d. versic. sicut ergo securus.* At verò testamentum Principi oblatum, nullos desiderat testes, quia ejus præsentia & auctoritas reliquas solennitates supplet, imò superat, quia Princeps populum repræsentat. Ut igitur olim, testamentum populo præsentate, veluti

teste, fiebat: Ita ad ejus veteris moris exemplum Imperatores sanxerunt, ut testamentum coram se factum, velut omnibus munitum solennibus valeat, quia populus omnem potestatem in ipsos contulit. *l. 1. ff. de const. princ.* Quamvis interea verum sit, quod nunquam Princeps videatur esse solus, sed semper circum se habeat viros optimos, probatissimos, prudentissimos. Eò enim respiciunt verba *d. l. 19. ibi: inter tot nobiles, probatasq; personas.* Et facit *l. humanum. 8. C. de legibus.* (4.) quia & hæc duo, paria judicantur, testamentum apud acta fieri, aut coram auribus privatorum, id est coram 7. testibus. *d. l. 19. ibi. aut auribus privatorum.* Ex æquipollentibus autem sive paribus, utrum præstetur, nihil interest, æquipollentium enim eadem est disciplina, idem iudicium. *arg. l. si mater. 3. C. de instit. & substit.* (5.) quia cessante causâ, cessat effectus, & cessante ratione legis, cessat ipsa legis dispositio, *C. cum cessante. 60. extr. de appellat. l. 1. in fin. ff. de donation.* Causa autem seu ratio legis, quod tot solennitates, & numerus præsertim testium in testamentis requiratur, est, ut tantò majorem sinceritatem obtineat testamentum, nec fraus vel fraudis aliqua suspicio sive impostura circa illud committatur. *l. fina. C. de fideicom. §. sed his omnibus. 4. J. de testam. ordinan.* At verò cum Principi testamentum insinuatur, nulla omninò fraus est metuenda, quoniam princeps præsumitur justitiæ plenus. *l. 2. §. meritò. 10. & §. si quis à principe. 10. ff. ne quid in loco publico. l. ex facto. 43. ff. de vulga. & pupilla. subst.* Et nunquam præsumitur principi aliquid placere, nisi quod justum & verum est. *l. fina. C. si cont. Jus. vel utilit. public.* Eadem ratio est, in quolibet iudicio alterius magistratus, vel apud acta, siquidem & ibi singularis industria, explorata fides, gravitasq; præsumitur. *arg. l. un. §. 1.*

§. 1. in fi. ff. de offic. præfecti prætor. ob juramentum præstitum. l. fina. C. ad L. Jul. repetundar. His igitur fraudibus, technis, ac fallaciis cessantibus, omniq; ad eas aditu præcluso in insinuatione, quæ fit apud principem vel ad acta, cessabunt meritò & ipsæ testium solennitates. (6.) quia acta & testes alternativè inter se opponuntur, in l. sancimus. 27. C. de testam. Alternativa autem propriè & strictè accepta, ejus est potestatis, ut eùm duo à sese disjungit, & segregat, tunc ad implendam dispositionem, alterum intervenire sufficiat. l. illud aut illud. 25. ff. de constit. pecun. l. cùm illud aut illud. 25. ff. quando dies legator. Quare cùm testamentum actis insinuatur, non necesse est testes intervenire, aut si conjunguntur acta, & testes, simulq; concurrunt, aliquid superflui admittitur. (7.) quia superfluum est privatum testimonium, cùm publica monumenta sufficiant. l. in donationibus. 31. C. de donatio. ubi in insinuatione donationis inter vivos, necessarium non est testes adhibere. E. neque in insinuatione testamenti apud acta. Quæ enim in ratione dispositionis juris conveniunt, quæ est, publicum testimonium, ea in ipsa quoque juris dispositione concordare notum est. Atque hanc opinionem approbavit etiam Serenissimus Elector Saxonie Augustus in Constit. 3. p. 3. ibi. Ob gleich keine andere Zeugen darinnen benant / oder dazur gebeten worden.

QVÆSTIO IV.

An testamentum publicâ fide fieri ^{Ad d.l. omnium, 19.} possit coram Sculteto & Scabinis paganis, vor einem Dorff Schultheissen vnd Dorff Schöpffen? Neg.

Ratio



Ratio est, quia si testamentum publicâ fide valere debet, omninò acta requirit judicialia, apud quæ testamentum hoc judiciale est insinuandum. *d. l. omnium. 19. ibi: actis cujuscunq; judicis.* Sed Scultetus paganus & ejus Scabini, tanquam homines simplices & imperiti, *l. fina. C. de testam. Nov. 73. cap. 9.* itemq; actuario destituti, nulla in pagis confici curant acta publica. E.

Est verò Rusticis cautela, ut testamentum ab acta condere cupientes, magistratum suum adeant, ab eoq; petant, ut Sculteto pagano & Scabinis hoc expressè injungat, quò testamentum publica fide recipiant: Quod si factum fuerit, rusticorum officium erit, testamentum hoc Nobili istius pagi vel cuicunque alij magistratui jurisdictionem ibi habenti offerre aut nuncupare: Istius verò magistratûs Notarius juratus idipsum actis insinuat, & omnia, quæ in præsentia testatoris gesta & peracta fuerunt, diligenter annotabit, prout Notariis in novissimo processu Judiciali Serenissimi Electoris Saxonæ cap. 2. præcipitur. Sic igitur testamentum hoc, ut judiciale, valebit. Et ita respondit amplissima facultas Juridica Lipsiensis Anno 1622, an Christian Behmen zu Mitweida.

QVÆSTIO V.

Ad d. l. omnium 19.

An coram Quæstore solo, vor einen Amptschöffer alleine / Judiciale testamentum condi possit? Neg.

(1.) Per Text. in Const. Elect. 3. p. 3. quæ requirit, daß GerichtsPersonen von Gerichts wegen sollen zum testatore geschickt werden. (2.) Ratio esse potest hæc, quia ut nulla est causa, quæ unius testimonio privato, quam-



quamvis legitimo terminetur, *cap. licet. 23. extr. de testib.*
Ita nec unius iudicis, quantæcunque fuerit auctoritatis,
verbo credendum, *cap. cum à nobis. 28. extr. de testibus.*
eò quod & iniqui iudices quandoque reperiantur, per
quos innocentium iustitia lædatur, *cap. quoniam. 11. in
prin. & cir. fin. extr. de probation.* præsertim in causa testa-
mentaria, ubi omnis falsitatis suspicio debet esse remo-
tissima. *l. fina. C. de fideicom. & d. c. cum à nobis. 28. ibi: sive
super testamentis.* Ergò Judex seu Quæstor & duo Sca-
bini, aut ad minimum unus, adesse debet huic actui te-
stamentario. *d. c. quoniam. ibi: aut publicam personam,
aut duos viros idoneos.* Atque ita responsum esse in Sca-
binatu Lipsiensi refert Mollerus *ad d. Const. 3. n. 25.* Eo-
demq; modo pronunciavit Facultas Juridica Lipsi. Anno
1620, an Christoff Theilern vnd Consorten zu Pegaw.

QVÆSTIO VI.

An testator testamentum domi con-
scriptum & subsignatum, per procurato-
rem, nuncium, aut epistolam magistratui
offerre, & actis publicis ita insinuare
possit? Neg.

*Ad d. l. om-
nium. 19.*

Rat. (1.) quia in *l. omnium. 19. C. h. t. & l. sancimus. 27.
C. eod.* hi duo casus æquiparantur, Testamentum condi-
coram actis, & coram auribus privatorum, i. e. septem
testium. At coram testibus testator præsens in conspectu
testium solenniter voluntatem suam declarare debet.
*l. si non speciali. 9. ibi: in conspectu testatoris. l. si unus. 12. ibi:
coram testatore. l. hac consultissima. 21. ibi: testibus præsentib.
testator suum esse testamentum dixerit. C. h. t. E. & apud*

B

acta.



acta. Æquiparatorum enim æquiparata solet esse ratio. Atque hanc solennitatem, præsentiam nempe & conspectum testatoris, verba etiam *d. l. 27. ibi: intra acta.* satis præsupponunt. (2.) quia in *d. l. omnium. 19.* non tantum *in princ.* Imperatores verba ad ipsum testatorem referunt, *ibi: publicavit iudicium.* Sed & in versic. *Voluntates etenim, volunt,* hominum seu testatorum voluntates audire. Per literas autem Judex non audit, sed legit: Et per procuratorem non ipsius testatoris testari volentis, sed procuratoris voluntatem audit. (3.) quia fraudibus & falsitatibus in primis testamentum est obnoxium. *l. fina. C. de fideicommiss.* E. ut his occurratur, præsentia ipsius testatoris omninò est necessaria, aliàs enim falsa & adulterina testamenta pro veris facile actis subjici & obtrudi possent. (4.) Concordat *Constit. Elect. 3. p. 3. S. fin.* ubi habetur: *Vnd leget dasselbe hinter das Gerichte/ hoc est: Et deponit illud apud acta.* E. innuitur, ipsam personam testatoris necessariam esse, aliàs non diceretur: *Vnd leget. sed: legen lassen.* Et ita hoc anno 1624. responsum est in Facultate Juridica Lips. an Christian Egerßdorff / Stadt: vnd Gerichtschreibern zu Calbe.

QVÆSTIO VII.

Ad L. nolumus, 20.

Quæritur de intellectu *L. nolumus. 20. C. h. t.* Dd. communiter ejus summam sic formant: Testamentum in scriptis solenniter confectum, per aliud quidem scriptum solenniter factum tolli potest, sed per nuncupativum, quantumvis solenne, non



non potest : Etiam si in posteriore hoc Imperator aut alij potentiores heredes sint instituti. Verior autem sententia & summa ejus hæc videtur esse : Testamentum prius solenne in scriptis, non tollitur per posterius non solenne, licet in eo Imperator aut alij potentiores instituti dicantur.

Ratio (1.) quia Imperatores nullam vim ponunt in sola scriptura vel sola nuncupatione, sed hoc non sufficere volunt, ne solo obtentu Imperatoriæ majestatis, aut Magistratus potentioris, minus solennis voluntas contra priorem solennem sustineatur. (2.) quia Dd. concedunt, quod in posteriori testamento scripto solenni heres institui possit Imperator. E. idem concedendum in posteriori nuncupativo legitime confecto, disposita enim de testamento in scriptis, disposita quoque censentur de nuncupativo testamento. *arg. l. jubemus. 29. vers. quemadmodum enim C. h. t. l. heredes. 21. in pr. ibi: licebit testanti vel nuncupare heredes vel scribere. ff. qui testamenta facere poss. l. 2. C. de bonor. poss. secund. tab. S. fin. J. de testam. ordin.* non enim vera diversitatis ratio inter testamentum nuncupativum & in scriptis, exceptâ scripturâ, reddi potest. (3.) quia iniquissimum esset, ac contra textus generales, in *l. ex imperfecto. 3. l. non dubium. 16. C. h. t.* quod Imperator aut magistratus non nisi in testamento in scriptis heres institui possit. (4.) Ad declarationem *l. n. 20.* referri potest *S. ead. oratione. 8. fin. J. quibus mod. testa. infirm.* ubi dicitur, oratione Pertinacis prohibitum fuisse, ne litis causâ princeps heres institueretur:



retur; cui mox conferuntur tabulæ non legitimè confectæ, item nuda vox, & scriptura, cui juris auctoritas deest, & ne illa sub prætextu Imperatoriæ Constitutionis valeant, præcipitur. Et ita *h. l. nostra. 20. cum. d. §. fin.* eo sensu optimè convenit. Sed & constitutione *l. nos. 20.* tantò magis opus fuit, quantò plures fraudes & concussiones sub Imperatoriæ majestatis prætextu ab aulicis adulatoribus tunc temporis committebantur, ut planè verisimile sit, Imperatores Honorium & Theodosium laudatissimi antecessoris sui Pertinacis orationem edicto suo in *h. l. 20.* quod novum non est, repetiisse & confirmasse.

QVÆSTIO VIII.

Ad *l. hac consultissima. 21.*

Cur Testamentum solenne præcisè requirat numerum testium septenarium?

Varij variè sentiunt, variasq; referunt rationes. Existimat Vultejus ad *§. possunt. 2. n. 27. f. de testam. ordinan.* Romanis ita placuisse. Addit Forcatulus, *dial. 14. n. 7.* hunc numerum mediocrem legislatori visum fuisse. Antonius Faber in *rationabil. ad l. non omnium. 20. & seq. ff. de legibus.* putat, esse exemplum juris constituti, ubi potissima & certissima sit ratio, quod ita fuerit constitutum, cum nihil esset quod melius constitui posse videretur. Gilkenius ad *l. si unus. 12. n. 1. C. h. t.* sic ait: Hic quod expedite respondeam, non habeo, sed ingero definitionem *L. non omnium. 20. ff. de legibus.* non posse omnium rationem reddi, ne ea, quæ certa sunt, subvertantur. Covarruvias ad *C. cum esses. extr. de testament. n. 6.* respicit ad sinceritatem testamentorum. Cum enim, inquit, testandi actus gravis sit, & mille fraudibus obnoxius, ideò voluit lex, quò tutius & fidelius ageretur, hanc solen-

solennitatem statuere, ad totius Reipubl. utilitatem,
Joh. Dauth. trac. *de testam. rubr. de testibus testament.*
n. 420. Harpprechtus ad *S. sed cum paulatim. 3. n. 20. & 21.*
J. h. t. & quidam recentiores alij, ideò septenario po-
tius quàm alio, Imperatorem uti voluisse scribunt, quod
hic numerus sit sacer, perfectus, & singularis ei vis ascri-
batur, adeoq; & huic sacræ ac justæ, i. e. perfectæ ac so-
lenni dispositioni hominis ultimæ rectè fuit applicandus.

Verior a. & ex historia Romana evidentior hæc vi-
detur esse ratio. Olim apud veteres Romanos in testa-
mento per æs & libram, quinq; testes cum libripende &
familiæ emtore interveniebant. *S. 1. versic. accessit. J. de te-
stam. ordin.* Testator enim vendebat familiam seu bona
sua, huic actui duæ personæ, per quas hoc negocium age-
batur, intererant, una dicebatur libripens, tenens li-
bram, siquidem æs Romanis antiquis non fuit signatum
sed rude, ideò numus ille, precium imaginarium, quod
in hoc testamento adhibebatur, librâ appendebatur:
Altera persona erat Emtor familiæ, emens bona de-
functi, seu hereditatis, nam familiæ verbum hoc loco
hereditatem significat, sicut in actione familiæ erciscun-
dæ. Præter hæc duas personas accedebant & quinq;
testes, ut mancipatio hæc ritè fieret coram toto quasi
populo Romano. Atq; hanc Reipub. Romanæ formam
antiquam, prætores, sublata illâ emancipatione & ima-
ginariâ venditione, qua hoc testamenti genus perficie-
batur, in vetustatis memoriam retinere voluerunt: Id
enim prætoribus curæ fuit, ne quid facile ex solennibus
mutarent. *arg. l. divus. 7. ff. de in integr. restit.* Certo ta-
men modo, ut sc. in locum libripendis & familiæ emtoris
duæ personæ aliæ substituerentur, quæ officio testium
simul perfungerentur, ut ita numerus ab antiquo jure



Romano definitus maneret integer, hoc est, personarum septem. Ulterior verò ratio, cur in testamento per æs & libram quinque testes fuerint adhibiti, hæc probabilis videtur: Fuit olim populus Romanus in quinque classes, ratione censûs distributus, Carol. Sigonius *lib. 1. de antiquo jure civium Rom. cap. 4. Livius lib. 1. & lib. 3.* quas quinque classes hi quinque testes repræsentabant, ut ita actus ille quasi coram universo populo, singulas classes singulis testibus repræsentantibus, fieri videretur. Unde & testes classici dicti sunt.

QVÆSTIO IX.

Ad d. l. 21.
§. 1.

An sola schedula, sive scriptura, patris manu conscripta, continens divisionem bonorum, in cista, absque ullis testibus reperta, in vim testamenti inter liberos subsistat? Aff.

Ratio. (1.) quia in *l. 21. §. 1. C. h. t.* generaliter & absolute Imperatores rescribunt, ex testamento imperfecto voluntatem tenere patris defuncti inter solos liberos. E. volunt Imperatores etiam valere illud testamentum patris, quod ob non adhibitos testes est imperfectum. (2.) quia in *l. fin. C. famil. ercisc.* dicitur, quod scripturæ parentis custodiri debeant, quibuscunq; verbis vel iudiciis relictae inveniantur, hoc est, etiam notis. Sensus enim est Imperatoris Constantini, ut testamentum inter liberos notis scriptum valeat. Quod tamen postea Imperator Justinianus in *Nov. 107. c. 1.* abrogat, jubens, ut testamentum parentum integris literis non notis perscribatur. (3.) Evincit hoc *d. Nov. 107. c. 1.* ubi

ubi Imperator Justinianus *in pr.* parenti certam præscribit formam in testamento inter liberos observandam, nec facit mentionem testium. Sed in versiculo: *Si tamen aut uxori, &c.* ubi Imperator de extraneis personis immixtis agit, ibi testes adhibendos esse requirit. Cùm igitur tùm demum requirantur testes, quando pater extraneis aliquid legavit, sequitur, quando inter solos liberos testatur, etiam absque testibus servandam esse ejus ultimam voluntatem. (4.) Ratio etiam id exigit, ut filij voluntatem parentum, æquitate & pietate ita suadente, reverentiâ itidem parentibus à liberis debitâ ita postulante, observent, si de ea ipsis satis constet ex scriptura, etiam si omnia alia solennitate & omnibus testibus careat, sola siquidem inter liberos veritas spectari debet. *arg. l. cum pater. 77. S. evictis. 8. ibi: conjectura voluntatis. ff. de legat. 2.* Favent itaq; leges pio patris proposito, dum patrimonium suum inter liberos hac de causa dividit, ut omnium litium occasionem eis adimat.

QVÆSTIO X.

An testamentum inter liberos ex partibus inæqualibus factum, viribus subsistat nec ne? Aff. *Ad Authentic.
Quod sine.*

Ratio (1.) quia textus *in S. 1. l. 21. C. h. t.* non distinguit utrum heredes in imperfecto testamento paterno in partes æquales vel inæquales sint instituti: Cùm tamen, si omninò æqualitas inter liberos sit servanda, id exprimendum fuisset, tanquam maximi momenti requisitum. (2.) quia in *l. fin. C. famil. ercisc.* locus est Scto/Trebellianico. E. innuitur, quòd alter filiorum onere fideicommissi prægravari, & proinde quartam ex
Scto

SCto Trebellianico deducere possit. Ex quo intelligitur, inæqualitatem oriri posse. (3.) quia nisi inæqualis distributio fieri possit, frustratorium erit ferè judicium paternum, de æqualitate inter liberos servanda scripto explicatum, cùm & ab intestato æquales partes liberi sint habituri. (4.) quia testamentum imperfectum inter liberos magis valet favore parentum quàm liberorum, illis enim debetur reverentia & obedientia. *l. 2. ff. de Justit. & jure.* Et liberos invitat verecundia paternæ auctoritatis & justæ affectionis, de qua leges confidunt. *l. fin. C. de curator. furioso.* (5.) quia pater potest etiam Jure communi pro arbitrio hereditatem inter liberos dividere, *l. parentibus. 8. C. de inof. testam.* salva tamen legitimâ. *l. omnimodo. 30. C. d. t. E.* cùm voluntas patris ex testamento imperfecto etiam sit observanda, sequitur quod hoc casu similiter obtineat.

QVÆSTIO XI.

*Ad d. Authen.
Quod sine.*

An ut parentes inter liberos, sic etiam liberi inter parentes hoc testamentum imperfectum sive minus solenne condere possint? Neg.

Rat. (1.) quia hoc nullâ lege cavetur.
 (2.) propter *l. 21. §. 1. C. h. t.* ibi: inter solos liberos.
 (3.) propter *Novel. 107. in præm.* ibi: quando sunt parentes.
 (4.) quia *d. §. 1. l. 21.* est correctorius J. civilis, & ob id odiosus, ideò extra suos fines non extendendus, præsertim quia non ut liberi parentibus ita parentes liberis succedunt, sed ordine mortalitatis turbato. Hinc fit ut favorabilior sit liberorum successio quàm parentum.
 (5.) quia vera ratio testamenti imperfecti in *d. §. 1.* est hæc

hæc : favor nempè parentum, quorum persona & voluntas liberis ob pietatem & reverentiam semper honesta & sancta esse debet. *l. libertio. 9. ff. de obseq. parent. & patro. præstand.* Quæ ratio non æquè militat in liberis, in quibus nempè cessat hæc pietatis & reverentiæ consideratio.

QVÆSTIO XII.

An testamentum in scriptis, si non habeat omnes solennitates, fortè quod unus ex testibus non subscripserit, aut non signaverit, possit valere in vim testamenti nuncupativi? Aff. modò testator testamenti nuncupativi solennitates proprias non omiserit.

Ad §. per nuncupationem. 2. d. l. 21.

Rat. (1.) quia licet sit præsumptio, testatorem voluisse condere testamentum in scriptis, propterea quod quædam testamenti scripti solennia adhibuerit, eadem præsumptio tollitur præsumptione aliâ validiori, siquidem præsumptio fortior absorbet debiliorem. *arg. l. divus. 7. ibi: existimari. ff. de in integr. restit. cap. literis. 12. extr. de præsumtion.* Ex ultimo autem testamenti actu præsumitur testator nuncupativè testari voluisse.

(2.) quia si testator interrogatus fuisset, absq; dubio respondisset, se ita testari velle, ut si testamentum non possit valere ut scriptum, valeat tamen ut nuncupativum. Ut enim alibi nemo præsumitur in re sua ludere. *arg. l. quoties. 59. ff. de V. obl.* Ita vel maximè nemo præsumitur, aut credendus est genus testandi eligere ad impugnanda sua iudicia. *l. si miles. 3. ff. de testamen. milit.*

C

(3.) quia



(3.) quia in dubio pro testamento potius quàm contra illud pronunciandum. *l. si pars. 10. ff. de inoff. testamento. l. cancellaverat. 2. in fi. ibi: in ambiguo tamen. ff. de his qua in testamento delentur. l. vel negare. 5. ff. testam. quem. aperiantur. l. cum antiquitas. 28. in pr. ibi: penè in perniciem. C. h. t.*

QVÆSTIO XIII.

Add. §. 2.

Si testator expressè dixerit, se in scriptis testari velle, solennitates verò testamenti scripti desint, an testamentum hoc faltem in vim nuncupativi valeat? Aff. si itidem reperiantur solennitates testamenti nuncupativi propriæ.

Rat. (1.) quia quamvis hoc propositum ab initio habuerit testator, quod voluerit in scriptis testari, si tamen postea non reperiantur solennitates in scriptis, sed tantum testamenti nuncupativi, videtur à priore voluntate recessisse, suprema enim voluntas potior habetur. *l. si quis. 22. ff. de legat. 3. l. divi. 6. §. 2. versic. nam ea que postea. ff. de jure codicillor.* (2.) quia & hoc casu non credendus est testator id genus testandi elegisse per quod iudicium ipsius impugnaretur. *l. 3. ff. de testam. milit.* (3.) quia actus intelligitur fortiore modo factus, & ut valeat potius quàm pereat. *arg. l. quotiens. 12. ff. de rebus dubiis.* Si igitur testamentum non valet ut scriptum, valebit tamen ut nuncupativum, aliàs frustra testator solennia nuncupativi adhibuisset. (4.) quia non tam ex nudâ denominatione & antecedente facto testatoris mutabili & informi, cujusmodi est, si dixerit, volo testari in scriptis,

scriptis, quàm ex ipso testandi actu formato & permanenti, atque ita ab effectu iudicium ferendam est. *arg. l. non codicillum. 14. C. h. t. l. ex conducto. 15. §. Papinianus. 4. ff. locati.*

QVÆSTIO XIV.

An testator heredem ad Notarij vel al- *Ad d. §. 2.*
terius cujusdam interrogationem per ver-
ba Volo vel Sic nuncupare possit? Affir.

Ratio (1.) quia aliàs ideò testator suo ore integris verbis heredem nuncupare debet, ut falsitas evitetur. *l. jubemus. 29. ibi: falsitas in elogiis. C. h. t. l. fin. vers. lex etenim ne quid falsitatis. C. de fideicom.* Sed in hoc casu, si Notarius roget, & testator per verbum VOLO vel Sic approbet heredem, etiam cessat falsi suspicio, constat enim de voluntatis certa sententia. E, (2.) quia testator, condere cupiens testamentum, potest, si vult, recusare illum heredem à Notario nominatum. Rationem hanc adducit & Fachineus, sed eam modò probat *l. 5. cont. 69. modò priorem sententiam retractans, reprobat l. 10. cont. 17. sed minus, uti putamus, feliciter.* (3.) quia & monosyllabum est vox articulata, & declarat voluntatem. *l. 1. §. si quis 2. de V. obl. l. Pamphilo. 39. §. 1. ff. de legat. 3. ibi: μάλιστα, h. e. maximè,* Est enim articulatè loqui, verba sua ita proferre, ut testes intelligere possint, quid testator senserit. *l. quoniam indignum. 15. C. h. t.* Ex verbo autem VOLO, SIC, testes satis percipere mentem & intentionem testatoris possunt.

QVÆSTIO XV.

An Legatarius possit esse testis in testa- *Ad l. distan-*
mento nuncupativo? Affir. *tibus. 22.*

C 2

Rat.



Rat. (1.) quia textus in *l. dictantibus. 22. C. h. t. §. legatariis. 11. J. de testam. ordin. l. qui testamento. 20. in pr. ff. qui testam. face. poss. l. si quis. 14. ff. de rebus dubiis*, generaliter & indistinctè de quolibet testamento loquuntur. E nec nostrum erit, inter testamentum scriptum & nuncupativum distinguere. (2.) quia à testamento scripto ad nuncupativum quoad effectus juris verè argumentamur, in nullo enim alio ferè, quàm quoad scripturam differunt. *l. jubemus. 29. C. h. t. videatur sup. q. 7. rat. 2.* (3.) quia omnes testes esse possunt in testamento, nisi excipiantur. *§. testes. 6. J. de testam. ordin.* Atqui legatarius nusquam in jure excipitur, neque in testamento scripto neque nuncupativo. *§. legatariis. 11. ibi: non denegamus. J. de testam. ordin.* (4.) quia ratio, quod legatarius possit esse testis, est hæc, Quod non sit Juris universi successor. *d. §. legatariis. 11.* Hæc verò ratio æquè in nuncupativo atque scripto testamento locum habet, legatarius enim tantummodo rerum sibi legatarum est successor, sive ex nuncupativo, sive scripto testamento aliquid capiat. (5.) accedit & hæc ratio, quod testator fidem testis elegerit & approbarit, idemq; fecerit & heres, dum ejus testimonio ad probandam suam institutionem utitur.

QVÆSTIO XVI.

Ad L. sancimus. 27.

An testamentum jurejurando testatoris confirmatum, mutari aut tolli possit? Affirmativa quidem vocatur communis à Pantzschmanno, Gilkenio & aliis. Sed negativa nobis arridet.

Ratio



Ratio est, quia in materia Juramenti non immerito stamus Juri Canonico: Canones autem volunt, ut omne juramentum servetur, quod absque dispendio salutis aeternae servari potest. *cap. cum contingat. 28. extr. de Jurejuran.*

QVÆSTIO XVII.

An Contractus in testamento celebrari possit? Neg. *Ad l. cum antiquitas. 28.*

Ratio est, quia testamentum uno contextu conficiendum est. *l. heredes. 21. §. fin. ff. qui testam. facere poss.* hoc est, nullus actus extraneus ad testamentum non perti- nens intervenire debet, nisi ob naturæ necessitatem & valetudinem adversam. *l. cum antiquitas. 28. C. h. t. §. sed cum paulatim. 3. J. de testam. ordin.* ne scilicet præter voluntatem testatoris aliquid incogitanter recipiatur, digressio enim ad alia, testatorem à conveniente delibera- tione in re magni momenti avocare & minus constans propositum arguere videtur. Sed Contractus est alie- nus & separatus actus à testamento, ut liquet. E. Cæte- rum in praxi recepta est opinio affirmativa, uti tradit & præjudicium refert Andr. Scheffer. *p. 3. q. 27.*

QVÆSTIO XVIII.

An Notarius, etiam si totum testamen- tum scripserit, nihilominus subscribere teneatur? Negat quid. Moll. *lib. 4. semest. c. 15. n. 1.* Sed verior est opinio affirmativa. *Ad d. l. cum antiquitas. 28. §. 1.*

Textus (1.) in *L. fisco. 2. ibi: tabularius non subnota- vit. C. de Convenien. fisci debitorib.* (2.) per *Novel. 73. cap. 1. ibi: quia his presentibus subscripsit, qui documentum*



fecit. Et cap. 7. §. 1. ibi: & instrumentum ipse tabellio totum per se conscripsit atq; supplevit. (3.) per Nov. 44. cap. 1. ibi: ipsis per se omnibus modis injungatur documentum. Et ibi: non aliter imponatur chartæ completio, h. e. subscriptio, extensio. (4.) per cap. inter dilectos. §. versic. Instrumentum quoq; ibi: cum tamen Notarius in subscriptione profiteretur, se instrumentum manu propria conscripsisse, extr. de fide instrum. Ratio (5.) nulla alia esse videtur, quàm ut instrumentum hoc fidem habeat certiore, magis concludentem & indubitatum, omnisq; suspicio falsitatis cesseret.

QVÆSTIO XIX.

Ad l. Jube-
mus, 29.

An heres in testamento possit nutu institui? Neg. (a) Ita, ut nec testamentum inter liberos nutu conditum valeat. (b) Neq; testamentum militare (c) Neq; testamentum ad pias causas. (d)

(a) Ratio est, quia heres aut scribi aut nuncupari debet. l. 1. §. 1. ff. de hered. instit. l. heredes, 21. in pr. ibi: licet testanti vel nuncupare heredes vel scribere. ff. qui testam. facere poss. At nutus non potest referri ad testamentum in scriptis, ut est in aperto. Neq; ad testamentum nuncupativum, nuncupari siquidem heres debet palàm, i. e. ut omnes vocem nuncupantis testatoris exaudiant. d. l. 21. l. 1. §. 3. versic. hæc autem scriptura ff. de hered. instit. Id quod de nutu dici nequit.

(b) Ratio est, quia quamvis testamenta parentum sine legum solennibus fieri possint. l. hæc consultissima. 21. §. 1. C. h. t. non tamen imperfecta ratione voluntatis sustinentur, hæc enim est regina hujus testamenti, ut cujus-
cunq;

cunq; alterius. *l. si mihi. 12. §. 3. in fi. ff. de legat. 1.* Ex nutu verò de voluntate patris, quoad omnium bonorum præjudicium, satis constare non potest, sed voluntas ista vel manum vel linguam requirit, ut in quovis testatore alio observatur. *auth. quod sine. ibi: manu propria. authen. hoc inter. ibi: declaret se nolle. C. h. r. l. filij. 16. ibi: quibuscunq; verbis voluntas ejus declarata sit. l. fin. ibi: quibuscunq; verbis vel iudiciis, hoc est, notis. C. famil. ercisc.*

(c) Ratio est, quia quamvis & hoc testamentum militis subsistat voluntate nuda, *l. 1. ibi: nuda voluntas. l. in fraudem. 15. ibi: nuda voluntate. l. miles. 35. ibi: sola perficitur voluntate. ff. de testamento milit.* Nuda tamen est, à solennitate verborum. *l. 1. ibi: ut quoquo modo. ff. de testam. milit. princ. J. de milit. testam.* Non verò à verbis ipsis, quibus omninò in testamento nuncupativo, opus est. *l. divus. 24. verb. ita locutus est, ut declararet. ff. de testam. milit. l. Lucius. 40. ibi: legitimis probationibus ostendatur. ff. eod. E.* nutu fieri non potest testamentum militare, sic enim legitima probatio nutus nunquam in Jure ostendi potest.

(d) Ratio est, quia nullus textus juris dari potest, ex quo probetur, in piis causis nutum ad omnem hereditatem transferendam esse sufficientem, proinde nec temerè illud asserendum. Et certè si legumlatores, homines sapientissimi, judicassent, ex nutu, de voluntate testatoris satis constare posse, utiq; probabile est, id in primis in testamentis, quæ jure gentium censentur, ut sunt ad pias causas, sicut & inter liberos, & militaria, eos constituisse. Hoc autem nullibi fecerunt. E.

QVÆSTIO XX.

An septenarius numerus solennis testium per consuetudinem aut statutum, suaden- *Ad L. final. 31.*

suadente hoc utilitate publica, minui possit? Affirmativa opinio probatur nobis, quam frequentius obtinuisse, testis est *Myns. cent. 5, obser. 20. n. 1: in fi.*

Ratio est, quia ea quæ sunt meri juris civilis, alio jure civili minui possunt. §. *sed naturalia. 11, ibi: ea verò quæ ipsa sibi quoque civitas, ff. de Jure naturali gent. & civ. §. fina. J. de legit. agnat. tutela.* Sed septenarius numerus à mero jure civ. est inventus. §. *sed cum paulatim. 3. Instit. de testam. ordin. l. hac consultissima. 21. C. h. t. E.* per aliud jus civile, hoc est, consuetudinem vel statutum hic numerus minui potest.

COROLLARIUM.

Quæstio elegans est: Num sponsalia publica pure contracta, mutuo partium dissensu hodiè dissolvi possint? Neg.

Quidam mediâ viâ in hac quæstione incedere volunt, statuentes, ut utrique parti interdicator, ne altera vivente, cum alia persona sponsalia vel nuptias celebret, sed innupta maneat, ut saltem tædio perpetuæ viduitatis & solitariae vitæ ad consumationem matrimonij instigetur. *arg. l. is cui. 5. in fi. princ. ff. ut in possess. Legator.* ne-
triquam verò ob solum partium dissensum ejusmodi sponsalia dissolvantur. Alij affirmativam opinionem, non tantùm ex Jure civili, quo sanè olim bonâ gratiâ sponsalia dissolvi poterant, *l. 1. C. de sponsal. l. 2. §. in sponsalib. 2. ff. de divortis.* Sed & hodiè juxta Jus Canonicum, imò
& ex

& ex rationibus quibusdam propugnant, ac rectè & subtiliter hæc ita disputari putant, inter quos novissimè est etiam Hunnius ad Treutler, *vol. poster. disp. 5. th. 1. Lit. G. quest. 16.*

Nos negativam amplectimur, quæ in praxi recepta est, teste ipso Hunnio *d. l. quest. 17. in fine.* Et refert, nobiscum sentiens Beust, *trac. de sponsal. p. 1. q. 58. pronuntiandi formam. q. 59. in his terris Saxonis usitatam.*

Ratio est (1.) quia quos Deus O. M. legitimè conjunxit, homines mutua voluntate dissolvere non debent, *arg. c. 19. Matthæi vers. 6. canon. Quos Deus. 18. caus. 33. q. 3.* Contumeliosum enim adversus Deum videtur, pacta & conventa de foedere matrimonij sanctissimo, quod non à contrahentium, sed à Dei auctoritate & voluntate dependet, adeoq; conscientiam stringit, violare. Sed Deus sponsum & sponsam per publica sponsalia legitimè conjunxit: hæc enim sunt initium veri conjugij, quo animi ad futuram cohabitationem individuum sive perpetuam à Deo uniuntur. E.

(2.) quia si locum haberet dissensus mutuus, multa sponsalia legitimè celebrata, hoc modo à levibus hominibus irritarentur: quod pessimi esset exempli, *arg. l. observandum. 47. ibi: id enim iniqui exempli esse. ff. de Judiciis. l. 1. in princ. ibi: qui pessimo exemplo. ff. de S. C. T. Macedonia.*

Non obstat (1.) *cap. 2. ext. de sponsal.* Respondit jam olim Durandus de S. Portiano *lib. 4. distinct. 27. q. 3. fol. mihi. 369. b.* Ecclesiam hoc capitulum non approbasse tanquam licitum. Rectè. Et quis omnia decreta Papæ cum suis rationibus approbaret? Num illud? Sacerdoti, quia semper orandum est, ergò semper matrimonio carendum, *cano. si laicus. 7. dist. 31.* Num illud? Quater-

D

narius



narius numerus prohibitioni congruit, quia quatuor sunt humores in corpore humano, qui constant ex quatuor elementis. *cap. non debet, 8. extr. de consang. & Affin.* Num illud? Qui publicas mulieres de lupanari extra- xerint, & duxerint in uxores, quod agunt, in remissio- nem proficiat peccatorum. *cap. inter opera, 20. ext. de sponsal.* Num illud? Amicorum omnia debent esse communia. E. & conjuges, debent esse communes, *cano. dilectissimis, 2. cau. 12. q. 1.* Num illud? Quod Spi- ritus S. praesentia non detur in actibus conjugalibus, ut dicitur in *cano: connubia, 4. caus. 32. q. 2.* Num illud, quod de podagræ curatione habet? *cano. legimus. 30. de consecrat. distinct. 5.* Et quis innumera alia enumeraret? Sic igitur nec textus in *d. c. 2. de sponsal.* approbationem meretur. Etsi enim in causis matrimonialibus quan- doq; Jus Canonicum locum habet: Non tamen tanta ejus auctoritas est, ut prævaleat auctoritati divinæ: Papa quippè homo est, cui nihil Juris in oracula divina competit, adeoq; nec vinculum conscientiae pro lubitu suo solvere potest. Sed neque Ratio Pontificis in *d. c.* adducta, neq; exemplum ibi allegatum benè quadrat.

Ratio Pontificis est: ne fortè deterius inde con- ringat, ut talem ducat quam odio habet. Quid est illud deterius? Explicat *glossa*, ne adulterium committat, neve hanc sponsam interficiat. Sed nihil est, quod hîc prudens judex timeat, admoneat sponsum sub commi- natione severissima poenarum in adulteros, in homici- das constitutarum, si commonitione hac non attentâ quid committat sponsum, suo periculo committat. Odio habet sponsam: tentet judex reconciliationem, si recu- sat eam sponsum, carceri includatur, imò tandem ob con-
tuma-

tumaciam extremam relegetur, quemadmodum nuper-
rimè in Scabinatu Electorali responsum, & hisce diebus
in Electorali Consistorio decretum novimus.

Exemplum verò Pontificis tale est: potest dissolu-
tio in patientia tolerari, ad instar eorum, qui societa-
tem interpositione fidei contrahunt, & postea eandem
sibi remittunt. Egregium! Rectè iterum ad istud Du-
rand. *d. q. 3.* hoc exemplum, inquit, non benè concor-
dat, quia renunciatio inter socios potest fieri licitè.
Quod ulterius sic confirmamus. In societatis promif-
sione inest hæc conditio, nisi fiat renunciatio, quæ non
inest sponsalibus. Tamdiu enim societas durat, quam-
diu consensus partium integer perseverat. *l. tamdiu. 5. C. pro socio.* Nulla siquidem coitio societatis est in æter-
num, ait JCtus Paulus in *l. nulla. 70. ff. pro socio.* cum ne-
mo invitus in communiōe stare cogatur. *l. final. C. com. divid.* Idq; propter lites & discordias, quas parit com-
munio. *l. cum pater. 77. S. dulcissimis. 20. ff. de Legat. 2.* Propter naturalem hominum ad dissentiendum facilita-
tem. *l. item si. 17. S. principaliter. 6. ff. de recept. arbitr.* At
verò sponsalia sic ineuntur, ut sequantur nuptiæ, indivi-
dua nempè vitæ consuetudo. *S. 1. J. de patr. potest. l. 1. ff. de ritu nuptiar.*


Non obstat (2.) quod unumquodq; eo modo dis-
solvatur, quo colligatum est. *l. nihil tam naturale. 35. ff. de R. J. E.* sponsalia, quia solo consensu contrahuntur *l. 4. ff. de sponsal.* ideò & mutuo solo dissensu solvuntur. *S. 4. J. quib. mod. toll. oblig.* Respondent communiter Dd. Decius, Cagnol. & Phil. Mathæus *d. l. 35.* loqui de actibus civilibus, non de matrimonio, vel aliis actibus, quibus character spiritualis impressus est, pertinent enim spon-

falia, ut & matrimonium ad causas spirituales sive Ecclesiasticas. *c. ab abolendum, 9. ext. de heretic.* Et eò spectat *cap. inter corporalia, 2. ext. de translat. Episc.* ubi ipse Pontifex fatetur, ea quæ spiritualia sunt, & conscientiam concernunt, facilius construuntur, quàm destruuntur. Præterea considerandum est cum *Heigio p. 2. q. 16. n. 5. 6. d. l. 35.* non nisi de his accipiendam esse, quæ ab utriusq; partis potestate dependent. Malè igitur etiamnum *d. l. 35.* ad materiam sponsaliorum vel matrimonij accommodatur: Est enim matrimonium à Deo colligatum, ab ipsius auctoritate & voluntate dependet, juxta illud: Quos Deus conjunxit. Quare *d. l. 35.* potius nostram confirmat opinionem, quàm quod eandem impugnet: Quo enim modo quid colligitur, eodem & solvitur. Atque sponsalia, non tantum consensu contrahentium, sed & interveniente auctoritate divina contrahuntur. E. non nisi interveniente divina auctoritate dissolvuntur, non igitur mutuo dissensu contrahentium solo.

Non obstat (3.) Quod matrimonij contrahendi singularis sit libertas. *l. Titia, 134. de V. obl.* quæ sanè non parum imminueretur, si non liceret à sponsalibus recedere & poenitere. Sanè non sequitur: Matrimonia debent esse libera, hoc est, non sunt ab initio poenis astringenda, qui est sensus *d. l. Titia, 134.* E. post sponsalia licita est poenitentia. Post hæc enim nulla amplius libertas. E. nec poenitentia locum habet, ne sanctissimum Dei foedus ludibrio habeatur.

Non obstat (4.) Quod text. *Mat. 19. v. 5.* loquatur de conjugio, non de sponsalibus: Unde concludunt, quod conjuges non sint separandi, non autem hoc fit trahendum ad sponsum & sponsam, quia hi nondum
sint

sint conjuncti. Videatur tùm Hunnius *d. l. tùm Cypræus*
in eandem sententiam *c. 13. §. 11. fol. mibi. 467. de sponsal.*
Sed respondemus ex ratione nostra prima, imprimis
illud Hunnianum negando, sponsum & sponsam non-
dum conjunctos esse: Semel enim vinculum divinum,
quo conscientia Deo obligantur, ex promissione con-
trahentium & conjunctione divina intervenit. Hinc &
Jure divino, quo virgo purè alicui desponsata est, vo-
catur uxor, & sponsus nominatur maritus. *cap. 1. Mat-*
thæi, v. 18. 19. 24. Cætera in discursu complebimus.



Ad Dn. Respondentem.

Pulpita conscendis Petrina, & fortiter urges
Certamen juris: conatum laudo proboq̃.
Est hoc egregium juvenili in corpore signum,
Ingenij magni, studijq̃, & mentis alacris.
Perge, uti cœpisti, Themidi sacrare labores,
Sponsor & auctor ego sic premia digna parabo,
Sic erit ipse parens latus spectator honorum,
Sic eris ipse decus patriæ, & spes magna clientum.

Sigismund. Finckelthaus D.
Præses gratulabundus F.

D 3

Qui



Qui modò Parnassum scandebas, atq, sophorū
Tum proponebas themata docta scholis:
Nunc Themidem aggredieris Themidisq; re-
condita pandis,

Dum das juridicis themata docta scholis.
Scilicet omne facis spes ut pulcerrima de te
Testetur Patriam posse juvare Tuam,
Gratulor, atque precor cursu ut feliciter actō,
Non fastiditis annumerere viris.

Joannes Böhme D.

Sic est Homo. Dum *Juno* Vitæ lampada
Succendit Ipsi; vix humiq; serpere
Potest, tuetur Orbis excellentiam,
Miratur, ac ridet subindè, nesciens
Quis Artifex sit elegantis Machinæ:
Mox cernit hoc, mox cernit illud, oppidò
Ridet, subindè ridet, *Hebe* primula
Sic suadet. Ast deindè quis fit *Editor*
Edoctus, ipse colligit, quod omnia
Sint propter *Adami Nepotes* condita:
Laborat indidem, bonorum copiam
Ut comparare possit Ipse uberrimam.
Emit, locat, conducit, & vendit, studet,
Tandem peractis omnibus laboribus,
Cum deviare *Sortis* ocyùs videt
Globum, salebrosas terendo semitas;

Clotho

Clotho sarissam cote dum cacuminat,
Quâ corpus auris eximat vitalibus;
Stapet: Dolet: Piget laboris, quem suæ
Vitæ per omne tempus incassum tulit.
Mentem tamen non prorsus abjicit, citò
Recolligit sensus, voluntatem suis
Exponit ultimam relictis Filiis,
Natabus, Amicis, vocat quos sanguinis
Jus ad piam successionem Mortui;
Sancitq; testamenta justa, firmaque.
Sic *Julius*, *Jocundus* & *Favonius*,
Clavumq; Regni dirigens *Tiberius*,
Fecêre Testamenta, cymbæ proximi
Charontis, omne sic bonum rati fore.
O Providas Mentès, cata atque Corcula!
Nam justa Testamenta prostant sicubi,
Tunc exulant doli nocentis pægmata,
Non Frater & Frater, Soror nec & Soror
Litem invicem ferunt inextricabilem,
Sed Cuique justa portio manet sua.

Quis hinc Tibi, *Pöckel*, neget, cultissime,
Magni Parentis Nate florentissime,
Melos, nec ad Coelum ferat te laudibus?
Turitè Testamenta quid sint ponderas,
Doctusq; sub Docto studes evadere.
FELICITER! FELICITER! Nutat Tibi
En dactylo *Themis*, datura *Maxima*.

M. Casparus Michaël Welschius.

F I N I S.

Barnab. Briss. de form. lib. 7.
fol. 674. & seqq.





[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



VOM







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



50 3.

INTE DEO.

Gregorianarum

num,

TERTIA.

28. 29. 31. ibiq; notata
amentis.

ensu amplissimæ
Lipsiensis

CKELTHAUS,

æ disquisitioni

endet

CKELIVS

anus.

s locoq; consuetis.

XIV.

Gregorius Nibsch.

